

morale quod in duobus tomis distinctum in lucem edidi, recurrat, ubi eos suis rationibus, et cum citatione locorum auctorum, qui de illis tractant, fuse discussas reperiet. Hic solummodo breviter et delibabimus, quantum satis erit, ut lectoris diligentia excitetur ad eas librandas. Nonnullæ sententiæ, quas hic secuti sumus alicui forsitan aut nimis rigidæ, aut nimis benignæ videbuntur; sed obstetare hunc, ut antequam hac nota eas damnet, præfatum. Opus in tri-

bus tomis distributum grandioris molis (quod semel Neapoli, et pluries Venetiis (*) typis datum est) revolvat, cujus loci frequenter hic citantur, quia fuse rationes, et doctorum, qui eas defundunt, auctoritates ibi legendo, minime alienas, nec rationi temere innixas sibi visum iri, pro certo spero.

Quoties in præsentis opere adspiciuntur citationes, ullo allato auctore, ex nostra Theologia Morali lector sciat esse desumptas.

TRACTATUS I.

DE CONSCIENTIA

1. Regula remota et proxima bene agendi.

2. Variæ conscientiarum distinctiones

1. Prima regula bene agendi est lex divina, cui postea debet se uniformare conscientia: sed quia bonitas aut malitia actionis talis nobis apparet, qualem eam conscientia apprehendit; hinc fit, quod regula remota, sive materialis, nostrarum operationum, est lex divina; proxima vero et formalis est conscientia, ut docet s. Thomas (1) sic loquens: *Ratio humana est regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuratur. Et apertius alibi (2). Actus humanus indicatur virtuosus, vel vitiosus, secundum bonum apprehensum, in quod voluntas fertur, et non secundum materiale objectum actus.* Qua de re in hoc primo tractatu agemus de conscientia, in sequenti vero de lege.

2. Sermonem faciens de conscientia oportet plura distinguere. Oportet 1. distinguere conscientiam a synderesi. Synderesis est *notio principiorum universalium*, nempe, Deus est honorandus; malum est fugiendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, etc. Conscientia vero est indicium

(*) Nunc autem typis meis illud edidi in quatuor tomis in 4^o distributum, imo omnia s. Auctoris opera dogmatica, mo-

practicum, quod ab hujusmodi principii formatur circa præsentis operationes, quæ hic et nunc agendæ sunt, aut vitandæ, secundum præsentis circumstantias; quapropter definitur conscientia. *Dictamen rationis, quo indicamus aliquid hic et nunc agendum, vel fugiendum.* 2. Distinguenda sunt varia conscientiarum genera, quæ possunt accidere, nimirum conscientia *recta, erronea, perplexa, scrupulosa, dubia, et probabilis.* De singulis hic cum distinctione nobis erit loquendum.

CAPUT 1.

DE CONSCIENTIA RECTA, ERRONEA, PERPLEXA, ET SCRUPULOSA

3. De conscientia recta.

4. Erronea.

5. Si detur ignorantia præceptorum naturalium.

6. Si quis æstimat desiderium pravum non esse peccatum.

7. De conscientia perplexa.

8. ad II. De conscientia scrupulosa.

3. Conscientia *recta* est quæ dictat rei veritatem, contra quam qui operatur, certe peccat.

4. *Erronea* est quæ dictat falsitatem. Hæc dividitur in invincibilem et

ralia et ascetica voluminibus LVIII. in 12.

(1) 1. 2. q. 19. a. 4. — (2) Quodlib. 3. a. 27.

vincibilem, sive culpabilem. *Invincibilis* est cum nulla erroris dubitatio in mentem occurrit, et juxta istam nos tenemur tunc ad operandum; (cum enim hæc sit regula proxima sicut superius dictum est) nostrarum operationum, juxta illius dictamen nobis operandum. *Vincibilis* est cum in mentem occurrit erroris dubitatio, et obligatio errorem vincendi, ac insuper negligitur ordinarius (non autem maxima) quæ debet adhiberi diligentia ad veritatem inquirendam. Qui cum hujusmodi conscientia operatur, semper peccat, sive juxta, sive contra conscientiam operetur.

5. Quæritur hic, an possit dari ignorantia invincibilis circa præcepta naturalia. Cum ignorantia est invincibilis, est etiam inculpabilis, sicut constat ex propos. 2. Michaelis Baii proscripta ab Alexandro VIII: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ non excusat a peccato formaliter.* Idem quoque dixit M. Nicolius (in diss. de prob. ad fin. epist. 5. Montaltii apud Cont. Tournely tom. 1. pag. 42. in fin.) sub nomine Wentrochii dicens, talem ignorantiam esse penam peccati originalis. Sed hoc jam contra Baium proscriptum est. Restat igitur videndum an detur ignorantia invincibilis circa præcepta naturalia. Respondemus cum communi (contra Sinnichium, et alios pauciores), quam tuentur s. Antoninus, Sotus, Maldonatus, Suarez, Azorius, Sanchez, Gammachæus, Duvalius, Wigandt, Gonet (qui merito vocat contrariam singularem, et improbabilem), et multi alij, inter quos numeratur doctissimus cardin. Gotti (1), adhibendam esse distinctionem inter prima principia, et conclusiones immediatas a conclusionibus mediatis. Hoc posito, dicimus cum allata sententia circa prima principia, seu cir-

(1) To. 2. q. 1. dub. 4. n. 17. ex. d. Th. 1. 2. q. 19. a. 6. Adde Tourna. mor. tom. 1. pag. 44., qui citat d. Thom. et d. Aug. Adde Mercorum lib. de praxi

ca præcepta principaliora legis naturalis, quæ sunt ex se nota, et a synderesi dictata, ut superius diximus, *Deus est colendus; quod tibi non vis, etc.*, non potest dari ignorantia invincibilis. Circa vero conclusiones immediatas, seu proxime deductas a principiis, qualia sunt præcepta Decalogi, nec datur ignorantia invincibilis, nisi in rudibus, et ad breve tempus, vel nisi addita aliqua circumstantia apparenter coonestante. Circa autem conclusiones mediatas, sive remotas, discursu a præceptis Decalogi deductas, ut sunt præcepta de non faciendis usuris, de scandalis vitandis, et alia id genus, circa has dicimus posse dari ignorantiam invincibilem, et inculpabilem, tunc cum adhibita communi, quam debet (ut diximus), diligentia, non potest dubium vincere. Vide in nostra Morali (2), ubi hoc multis auctoritatibus d. Thomæ comprobatum est; et p. Lacroix (3) confirmat hoc idem auctoritatibus s. Bonaventuræ et Alberti Magni. Idque confirmatur ex eadem allata pro. 2. ex Baianis proscriptis, ubi animadvertitur, Ecclesiam aut sentire, aut valde probabile esse tenere, quod detur ignorantia invincibilis etiam circa legem naturalem; nam si teneret contrarium, non declarasset ignorantiam invincibilem excusare hominem a peccato, quia damnasset propositionem de impossibili eventu.

6. Non desunt inter dd. qui excusant a mortali eum, qui putaret, opera tantum esse peccatum, non autem peccandi desiderium; sed huic opinioni numquam potui acquiescere, cum intelligere non valeam, quomodo evenire possit, ut qui jam scit, aliquam actionem, v. g., fornicationem esse peccatum, possit non peccare deliberate desiderando illam deliberate exequi, impossibile mihi videtur,

opin. Vincent. Baron. in post. p. ad mor. théol. d. 4. q. 5. §. ult.

(2) Lib. 4. n. 470. — (3) Num. 720.

quod quis credat non peccare, cum deliberate vult opere complere quod jam advertit esse Dei offensam (1).

7. Conscientia *perplexa* est, cum quis inter duo praecepta constituitur, v. g. servandi proximi vitam, et non pejerandi, et ipse nescit, quid deliberet. Quid tunc ei faciendum erit? 1. Sapientes consulere debet, si potest. 2. Si non potest, minus malum eligendum erit, evitando potius transgressionem praecepti naturalis, quam humani, aut divini positivi. 3. Si facile sibi non erit ad librandum quodnam eorum sit minus malum, tunc ad quodcumque se determinet, non peccat, quia tunc deest ei libertas necessaria ad peccatum.

8. Conscientia *scrupulosa* est ea, quae ex levi formidine dubitat de alicujus actionis honestate, adeoque saepe formidat peccatum esse ubi non est. Multas dd. assignant regulas pro scrupulosis; sed revera post orationem nullum his remedium efficacius (imo unicum, ut bene ait p. Segneri) restabit, nisi obedientiam omnimodam directori praestare. Hinc ante omnia confessarius suadeat hujusmodi poenitenti hoc duplex principium principale. Primum, quod coram Deo tuto incedit, si patri spirituali obtemperat, ubi evidenter peccatum non apparet: tunc enim non homini obedit, sed ipsimet Deo, qui dixit: *Qui vos audit, me audit*. Ita docent omnes doctores, et magistri spirituum cum s. Barnardo, s. Antonino, s. Francisco Salesio, s. Philippo Nerio, s. Theresia, b. Dionysio Carthusiano, b. Umberto, v. p. magistro Avila, magno Gersone, etc. Secundum, quod major scrupulus, qui debet eum angere, erit inobedientia, propter quam non tantum amittendi animi pacem, devotionem, et in virtutes progressum, sed etiam desipiendi, sanitatem consumendi, et quod deterius est, etiam animae faciendi jacturam, magno se exponit periculo: posse enim eo devenire scrupuli, ut vel ad tantam

(1) Lib. 1. n. 9.

eum redigerent desperationem, qua sibi mortem inferret; sicuti non paucis accidit, vel ut praecipitem se ad omne vitiorum genus deflecteret. Item confessarius insinuet poenitenti scrupuloso, ut bene ait doctus Auctor *Instructionum confessoriorum tyronum* (2.) cum Deo non sunt calamo, ut dici solet, rationes colligendae: Deus enim, boni nostri causa vult, nos incertos vivere de nostra salute. Qua de re moralem diligentiam adhibendo, ne eum offendamus, in ejus misericordiam nostra cura jactanda est, et nostram non posse facere salutem sine ejus gratiae adjutorio confidentes, haec cum perseverantia, fiducia, et pace expostulanda nobis erit. *Optimum est*, aiebat s. Franciscus, *cæco ductu incedere sub divina providentia inter hujus vitae tenebras et perplexitates. Expediit quiescere, dum a patre spirituali intelligit, se bene progredi, quin ejus rei causam perquirat. Numquam periit obediens*. S. Philippus Neri (3) asserbat, quod qui confessario obsequabatur, se certum faciebat, Deo non redditurum de suis operibus rationem. Contra vero, aiebat s. Joannes de Cruce (4); Non satisfieri de eo quod dicit confessarius, esse superbiam, et infidem peccatum.

9. Deinde curet confessarius, 1. ut percerebros cum hujusmodi poenitente habeat sermones de nimia fiducia in Jesu Christo collocanda, qui pro nobis mortuus est: et in sanctissima ejus Matre, quae maxima potentia a Deo donata est in eos, qui ad se confugiunt: quare hortetur, ut vivat securus, semper ac Jesu et Mariae se committat patrocinio, qui procul dubio exaudiunt se invocantes. 2. Prohibeat, quominus libros, quibus scrupuli excitantur, legat et cum scrupulosis versetur; et illi, qui valde his vexatur, interdicit ne ad conciones terrore plenas adeat, nec con-

(2) P. 1. n. 76. — (3) In Vita lib. 1. cap. 20. — (4) Tract. de spinis Coll. 4. § 1, n. 8.

scientiam examinet in iis rebus, ubi scrupulos, sed immeritos, apprehendit. 3. Si consistit scrupulus in timore pravus cogitationibus (v. g. contra fidem, puritatem, aut caritatem) assentiendi, confessarius sit promptus atque intrepidus ad eos negligendos, et ad sincere ei affirmandum, hujusmodi cogitationes, potius poenas, quam consensus, et peccatum sibi esse. Et in hoc praecipue confessarius praee oculis habeat illam regulam, quam dd. (1) tradunt, eum, qui timorata est conscientia, nisi plusquam certus est de peccato mortali, immunem a peccato in eo iudicandum esse; nam tale monstrum (prout aiebat p. Alvarez) impossibile est in animam ab eo abhorrentem ingredi, quin aperte dignoscatur. Hac de re juvat pariter imponere scrupulosis, ut de hujusmodi cogitationibus nihil penitus se accusent, nisi certo sciant, et jurare possint, consensisse. Et hic adverti debet, quod cum scrupulosis, non per regulas peculiare, sed generales, procedendum erit: per particulares enim scrupulosi numquam erunt ad deliberandum idonei, dubitantes semper, num illa regula apta sit praesenti casu; qui semper ei videbitur differre a casu, quem a confessario audivit.

10. Sit 4 pro illis, qui habent scrupulum circa praeteritas confessiones, sivi quia putant, non omnes circumstantias explanasse, sive ob defectum doloris. Confessarius cum advertit, eos aut confessionem generalem jam peregerisse, aut per aliquod notabile tempus confessiones praeteritas repetisse, istis imponat, ne ex proposito ad eas animum adiciant, nec amplius verbum faciant de peccatis praeteritis, nisi cum jurare possunt, ea certe fuisse mortalia, et certo item de eis, numquam fuisse confessos. Dum dd. docent (2), scrupulosos, quamvis per inadvertentiam aliquod

grave omiserint peccatum, non teneri (saltem, cum certi non sunt) cum tanto incommodo et periculo ad integritatem confessionis, a qua etiam hoc minus incommodum excusare potest (3). In hoc confessarius sit fortis, ut sibi obediri faciat, et si poenitens non obedit, eum objurget, privet communione, et quantum potest ejus retundet duritiam. Humaniter cum scrupulosis agendum est; sed cum inobedientia delinquant, maximo cum rigore tranctandi sunt: si enim hac obedientiae anchora illi destituuntur, pereunt utique; nam aut in phrænesim labuntur, aut in morum se dant depravationem.

11. Quinto loco veniunt illi scrupulosi, qui peccare formidant in omni opere; istis imponat, ut libere agant, et, ut scrupulos vincant, imo vincere tenentur, semper ac non vident illam actionem evidenter esse peccatum. Ita cum p. Segneri docent dd. (4). (p. Segneri *Poenit. Instr. c. ult.*). Et nihil refert, quod cum actuali timore operentur (non deposito dubio, quod pene desperandum a scrupulosis). Is enim timor non est verum conscientiae dictamen, quod alio nomine conscientia formata dicitur, uti bene distinguit Gerson (5), nec est verum dubium practicum, nec tollit iudicium antea factum, (quod virtualiter perseverat, licet ad illud propter timoris vehementiam tunc non advertatur) nempe, se non peccare in eo, quod non cognoscunt evidenter esse malum, siquidem tunc, non contra conscientiam agunt sed contra illum inanem timorem (6). Imponat igitur confessarius hujusmodi poenitentibus in virtute obedientiae, ut parvipendant et superent scrupulum, libere operando id, in quo scrupulus eis est impedimento: item eis injungat, ut deinde amplius de illo non confiteantur.

(3) Lib. 6, num. 476. — (4) Lib. 1, num.

(1) Lib. 6, n. 476. — (2) Lib. 1, n. 16.

17. — (5) Loc. cit. — (6) L. I, n. 18, et 19,

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

12. *Dubium negativum et positivum.*
 13. et 14. *Speculativum et practicum.*
 15. et 16. *Si lex est dubia.*
 17. *Si votum est dubium.*
 18. *Si superior jubet fieri rem dubiam de peccato.*
 19. *In dubio quid fieri debeat in jejuniis, aut communione.*
 20. *De impedimento, et debito dubio.*

12. Conscientia dubia est, quæ indeliberata manens, pro utraque parte assensum suspendit. Hic tamen distinguendum est dubium negativum a positivo. *Negativum* est, quando ex neutra parte apparent rationes, quibus possit intellectus assentiri alteri parti, et hoc debet in rigore appellari dubium, quod definitur *Suspensio assensus circa aliquod objectum*. *Positivum* vero est quando pro utraque parte, aut saltem pro altera, adest grave motivum assentiendi, licet cum formidini de opposito; proinde dubium positivum idem est, ac opinio probabilis, de qua in sequenti puncto agemus.

13. Distinguendum i. dubium speculativum a practico: *speculativum* est, quando dubitatur de rei veritate, ut si bellum sit justum, necne; si pingere die festo sit opus servile; si valeat baptismus cum aqua distillata etc.: *practicum* vero est, quando dubitatur de rei honestate, si v. g. licet in praxi depingere die festo; præliari in bello dubie justo. Itaque semper distinguendum erit verum a licito. Etenim dubium speculativum respicit verum, practicum vero licitum. Hoc posito, dicimus cum dubio practico non licere operari, quia homo in operando debet assensu moraliter certus de rei honestate; pliter, quia se periculo peccandi exponit, peccat, juxta illud Eccl. 3. 27. *Qui amat periculum peribit in illo.* Et illa peccati noxa, cujus dubium habet, reus erit, quare, si dubitat esse furtum, furti peccat; si dubitat esse mortale, mortale committit. Qui

autem est certus, in tali actione peccatum inesse, sed incertus est, si sit mortale, an veniale; alii eum de mortali damnant; sed probabilius dicunt Navarr., Valent., Granado, et Lacroix, tantum peccare venialiter; modo ad graviter peccandi periculum, neque ad actionis expendendæ obligationem non advertat; et dummodo actio illa de se non sit certe peccatum mortale, et illius malitia saltem in confuso non apprehendatur (1).

14. Contra vero cum dubio speculativo operari licet, cum operans alius ductus rationibus practice judicat esse licitam eam actionem: nam aliæ sunt rationes, ut judicetur de rei veritate, v. g. quod bellum sit justum, quod pingere in festo sit opus servile; aliæ sunt rationes, ut judicetur actio esse honesta, nimirum licitum esse præliari in bello dubie justo, pingere in festo, ex alio principio certo (ut est illud: *Melior est conditio possidentis*, aut aliud simile) dubium deponens. Qua de re in dubiis videndum est, cujus sit possessio, præcepti, an libertatis. Et ut hoc dignoscatur, videndum, pro quo stet præsumptio. Cum pro indubitato habeatur stare præsumptionem pro ea parte, quæ alteri onus probandi factum transfert; factum enim non præsumitur, nisi probetur, ut habetur l. 2. de probation., et ex l. in ballo, de captivis.

15. Ex quo inferitur primo, quod si possidet libertas, debet probari certo adesse præceptum obligans, alias præceptum dubium non potest onus certum imponere, et ligare libertatem, qua certo a Deo homo donatus est, ut quod sibi placuerit faciat, præter ea quæ sibi manifeste prohibita, aut imposita sunt, ut Ecclesiastici 15. 14. expressum habemus: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare,*

(1) Lib. 1, n. 22, et 23.

vare, conservabunt te. Contra vero, si lex certe condita et promulgata est, et dubium oritur, sitne abrogata, aut revocata, aut ubi conservatur an sit dispensata, qua tunc lex manet in possessione.

16. Et ibidem dicendum, si dubitatur de legis acceptione; cum enim illa justa sit, præsumi debet, acceptatam esse, inspecto illo alio principio: *Ordinarie præsumitur factum, quod de jure faciendum erat.* Cui respondet illa alia moralis regula communiter a dd. recepta, quod cum dubitatur, sit neque positus actus, nisi probetur, ut supra dictum est; cum autem certe actus positus est, et dumtaxat dubitatur de ejus validitate (v. g. illius matrimonii, confessionis, voti etc.) *semper standum pro valore actus, l. Quoties, ff. de rebus dubiis*; ubi habetur, quod leges dubiæ actus validitati favent. Hujus generis est etiam illud axioma; *Nemo præsumitur matus, nisi probeatur* (1).

17. Inferitur 2., quod quidquid de lege dictum est, idem de voto erit dicendum, quod est quædam particularis lex, quam sibi homo imponit. Quapropter si quis dubitat, et non est certus de voto emisso, non tenetur ad votum, ut cum communi Cabassutius, Suarez, Rebello, Prado, Sanchez, Castropal., Analet., Salmant. et alii (2). Idemque dicitur, cum dubitatur, an in voto emisso, aut in lege promulgata, comprehendatur nec ne aliqua res; tunc enim pro ea parte, de qua dubitatur, votum, aut lex non possidet. Et hoc perspicue apparet ex cap. Ex parte 18. de censibus; ubi cum aliqui vovissent, et dubitarent, an tenerentur ad majus, an vero ad minus, juxta factam promissionem, fuit responsum, teneri tantum ad minus. Contra si votum fuisset certum, et dubitatur de satisfactione, debet persolvi, cum possessio tunc sit pro voto. Nihilominus

(1) Lib. 1, n. 26, et 27. -- (2) Num. 28.

communissime dicunt Lugo, Roncaglia, Laym, Salm., Carden., Lacroix, et alii, quod, si quis probabiliter judicat, votum persolvisse (sive penitentiam confessionis, aut officium divinum) non teneri ad aliud, qua Deus contentus est de probabili suæ legis satisfactione (3). Nec obstare, aiunt, quod voti obligatio sit in possessione; nam respiciunt quod possessio obligationis, posita probabili voti satisfactione, devenit dubia, et ideo vovens in sua libertate remanet. Sed hæc ratio minime mihi probatur; casu enim quo dubitatur de remissione voti, pro certo habeo obligationem non adesse illud implendi, quia tunc possidet libertas; sed casu quo votum est certe emissum, intelligere nequeo, quomodo per probabilem voti satisfactionem vovens solvatur a voti obligatione, quæ adhuc in sua possessione manet; sicut enim tunc certum est votum, ita pariter certa ejus impletio etiam esse debet. Eo solo casu opinio præfata admitti posset, quo probabilitatis illa talis esset, quo morale certitudinem satisfactionis voti peractæ fundare valeret. Et idem dicendum de obligatione recitandi Horas canonicas, et adimplendi penitentiam sacramentalem. Si autem quis votum emisisset, et deinde immemor voti operam promissam impleveret, dicimus tunc non teneri iterum satisfacere, semper ac pro certo judicare potest, quod factus memor voti pro illo operam impletam applicasset, prout cum sententia communi dicitur *Tract. X. n. 120. in fin. vers.* Idem autem, etc.

18. Inferitur 3. quod cum superior jubet, subditus tenetur obedire, quoties res præcepta non est certe illicita; cum enim dubitatur tantum de rei inhonestate, possidet superioris auctoritas, quam habet præcipiendi, qua non potest expoliari in dubio. Ita communiter s. Bonav., s. Antonin, Cajet., Sylvius, Cabass., Tournely, Azor., Sanch., Palaus, Salmant., etc.

(3) Ibid.

Et probatur ex *cap. Quid culpatur dist. 23. q. 1.*, ubi s. Augustinus dicit, subditum recte obedire principi militare præcipienti, si bellum non sit certe injustum. Limitationem hanc habet hæc doctrina obediendi præceptis dubie injustis, quoties periculum gravis damni spiritualis, aut temporatis, secum conjungeret; aut si res præcepta esset etiam probabiliter illicita, et una simul esset valde molesta et difficilis, ita Lessius, Sotus, Tournely, Prado, Sanch., Holzmann, Buzemb., Castropal., Salmant, et alii plures (1).

19. Inferitur 4., quod dubitans, an jam compleverit annum 21., non tenetur ad jejunium: si dubitat vero, an pervenerit ad annum 60., in qua ætate probabiliter deobligatur a jejunio ecclesiastico, ut dicemus Tractatu XII., tunc tenetur ad jejunium, quia possidet jejunandi præceptum. Idem dicendum, si quis dubitat de ætate pro ordine sacro, aut pro beneficio requisita, quia tunc possidet præceptum Ecclesiæ (2). Pariter si erit feria V., et dubitatur an jam transierit media nox, potest facta diligentia vesci carnibus (3). Qui autem dubitat, an deglutiverit aliquid post mediam noctem, possit nec ne communicare, alii negant, sed alii plures, ut Lamy., Sa, Buzemb., Lacroix, Sporer etc., probabiliter affirmant, dicentes, legem jejunii esse prohibitivam potius, nempe, ne quis non jejunus communicet, ut colligitur ex canonibus relatis in opere (4). Propterea semper ac non sit factus casus, quo vigeat legis prohibitio, certæ nimirum, jejunii fractionis, homo est in possessione communicandi.

20. Inferitur 5., quod superveniente dubio de matrimonio, impedimento, bona fide contracti, post factam diligentiam, dubio perseverante, potest conjux tum reddere, tum petere de-

(1) Lib. 1, n. 31 et fusius I, 4, n. 47, Limitant. — (2) Lib. 1, n. 32. — (3) Ibid. — (4) N. 38.

bitum conjugale (5). Inferitur 6., quod certus de debito, at dubius de solutione, tenetur solvere. Contra vero dubius de debito, si est possessor bonæ fidei, ad nihil tenetur, dum possessio (modo sit legitima) dat certum jus retinendi, quod possidet, adversus quod non potest prævalere, nisi jus certum proximi. Hinc s. Augustus. (*can. Si virgo 34. q. 1.*), ait: *Possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.* Ita Castropal., Laym., Lugo, Roncag., Carden., Molin., Sanch., card. Sfondratus, Sporer, et alii plures (6). Secus autem dicendum, si possessio sit infirma, nempe dubia, aut dubia fide incepta: quia tunc debet fieri restitutio pro rata dubii (7). Et non secus faciendum puto (quidquid dicant alii) casu, quo possessor, superveniente dubio, tempore debito, neglexerit diligentiam facere, quia proximum defraudavit, saltem spe, quam habebat, fore ut verus creditor inveniri posset, et pro hujus spei rata tenetur restituere.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA PROBABILI.

21. *De conscientia probabili.*
 22. *In materia fidei.*
 23. *Medicinæ.*
 24. *Justitiæ.*
 25. *ad 27. Sacramentorum.*
 28. *In damno alterius.*
 29. *Gradus probabilitatis.*
 30. *De tenui probabili, et de probabilissima.*
 31. *ad 79. De probabili, et probabiliori.*

21. Conscientia probabilis est illa, quæ propter aliquam probabilem opinionem dicitur licitam esse aliquam actionem. Opinio probabilis est illa, quæ gravi aliquo innititur fundamento apto ad hominis prudentis assensum inclinandum. Sed in hoc primum omnium oportet scire, non licere operari cum opinione probabilis

(5) N. 33, et fusius I. 6, n. 903, et 904. — (6) Lib. 1, n. 34, et 25. — (7) Num. 36, Præfatæ et I. 3, n. 625.

cum periculo de facto damni proximi, cum proximus est in sui juris possessione; cum distinguendum sit cum p. Suarez, alium esse casum cum agitur de simplici jure, nempe utrum possimus licite aliquid agere; alium esse cum agitur de facto, et de rei veritate; si enim talis opinio vera non sit, proximus certe damnum patietur, adeoque tunc opinione probabili uti fas non erit. Ponamus exemplum: si ego dubito, utrum ille sit homo an fera, non licebit eum ferire, nisi certus factus sum esse feram; licet probabilius, nedum probabiliter existimem, feram esse: nam si revera est homo, eum vulnerando ex mea opinione licet probabiliori, illius damnum non vito.

22. Hinc inferitur 1., quod in materia fidei et salutis æternæ non solum est illicitum sequi opinionem minus probabilem, ut dicebat proposit. 4. damnata ab Innoc. XI.; sed probabilioribus etiam, atque probabilissimam; et teneri ad amplectendam tutam et consequenter religionem, quæ tutos homines efficit; prout est catholica; nam ceteræ religiones, cum falsæ sint, quamvis istarum aliqua forsitan videretur probabilior alicui, ille tamen destitutus sacramentis, et aliis mediis necessariis ad consequendam salutem æternam, non aufugeret utique suæ beatitudinis jacturam.

23. Inferitur 2., quod medicus tenetur adhibere remedia tutiora pro infirmi salute, neque illi fas est uti aliqua medicina, quam nescit, utrum ei profura, an nocitura sit, ut periculum de illa faciat. Dubitant tantummodo dd. si infirmi salus jam sit desperata, an medico liceat ei dubium pharmacum præbere, ex quo potest infirmus convalescere, vel mors ejus accelerari. Alii id negant; sed plures alii, inter quos Sanch., Valent., Laym., Bonac., Buzemb., Filliuc. etc., id non improbabiler affirmant, dum etiam ipsa natura videtur dicere, vitæ modico periculo se ex-

ponere spe perfectæ valetudinis, prudentis esse viri (1).

24. Inferitur 3., quod iudex debet judicare secundum probabilioribus sententiam, cum lege divina et humana teneatur unicuique jus suum tribuere pro causæ meritis. Quare jure merito proscripta fuit a Innoc. IX. hæc 2. propositio. *Probabiliter existimo, iudices posse judicare juxta opiniones etiam minus probabiles.* In quo nihilominus validiori innixi fundamento notant Cardenas Filguera, Lacroix, et alii, reum, qui in legitima est rei controversæ possessione, non posse a iudice expoliari, nisi actor eas afferat rationes, quæ nedum sint probabiliores, veram etiam convincentes: dum, ut dictum est num. 20., legitima rei possessio jus certum confert cuicumque possidenti (donec non constet de alterius jure) rem retinendi. Idque multis argumentis atque dd. auctoritatibus, ac etiam perspicuis textibus, probat Carden (2).

25. Inferitur 4., quod in sacramentorum collatione non potest minister uti opinione probabili, aut probabiliori, de sacramenti valore, sed tutiores sequendæ sunt, aut moraliter certæ. Propterea fuit proscripta hæc 1. propositio ab Innoc. XI.: *Non est illicitum in sacramentis conferendis uti opinione probabili de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id velet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotatis, aut episcopalis. Sit tamen notandum, quod in duobus dumtaxat casibus licet uti opinione probabili, etiam circa sacramentorum valorem, videlicet:

26. Primus casus est cum versatur in extrema necessitate; tunc enim licitum est uti quacumque opinione probabili, etiam tenui, ut dicunt multi dd. (3). Semper tamen tunc adhibenda est conditio, si valet:

(1) L. 1, n. 46. — (2) L. 4, n. 210, v. q. — (3) Lib. 6, n. 403, ad III, et 482, in fin.

quia conditio in illarum rerum angustiis removet injuriam a sacramentis, si forte invalide conficiatur; et necessitas contra justam præbet causam sacramentum conditionatum ministrandi.

27. Secundus est casus, cum præsumitur Ecclesia aliunde supplere, ut sacramentum validum reddatur, prout accidit cum contrahitur matrimonium probabiliter validum quia tunc præsumitur, Ecclesiam impedimentum, si unquam foret, abstulisse, ut redderet matrimonium certe validum, juxta communem dd. cum Suar., Less., Coninch., Cardenas, Sporer, et aliis cum Lugo, qui testatur, hanc esse totius Ecclesiæ praxim (1). Idem fit in sacramento penitentiae, cum agitur de confessarii jurisdictione; etenim cum adest opinio vere probabilis de jurisdictione, Ecclesia etiam supplet eam conferendo, si forte confessarius ea caret, et hoc ex universali confessariorum consuetudine absolventi cum probabilis jurisdictione, et communiter testantur Suarez, Lugo, Carden., Sánchez, Bonac., Less., Coninch., Moldero, Castropal., Salmant., Lacroix etc. Hanc tamen sententiam non admitto, nisi adsit gravis necessitas, aut saltem magna utilitas, ut bene limitant Wigandt, Holzmann, Marchant., Sporer, Elbel, etc. cum ipso Suarez; alias non debent præsumi Ecclesia sacerdotum libertati favere velle.

28. Itaque, ut dictum est n. 21. non licet uti opinione probabilis cum alienius damno. Hoc tamen (ut supra annuimus) valet, cum proximus certe possidet suum jus; si secus esset, opinio poterit esse practice probabilis de jure, sive probabilis proxima, ut dicunt dd., v. g., opinio asserens, quod quoties aliquis alicui est jam infamia notatus, nulla ei gravis injuria infertur, si quis ejus crimen, licet occultum, alibi promulgaret. Vide alia hujus generis

(1) Lib. I. n. 50, et I 6, n. 90r.

exempla in opere (2). Ratio, quia in omnibus istis casibus proximus consideratur non habere jus certum, aut saltem certam possessionem illius.

29. Quod hic dictum est locum habet cum agitur de puro facto; secus autem erit cum agitur de mero jure, et de sola rei honestate; tunc enim non licet operari cum opinione probabilis. Sed hic videndum, quænam, et qualis esse oporteat opinio, ut censeatur probabilis, et licite ea uti possimus. Agitur distinguendæ sunt opinio tenuiter probabilis, probabilis, probabilior, probabilissima, et moraliter certa. *Opinio tenuiter probabilis* est quæ innititur fundamento quod non valet ad se viri prudentis assensum petrahere. *Probabilis* est quæ innititur fundamento gravi, tam intrinseco rationis quam extrinseco, nempe auctoritatis DD., ita ut capax sit flectere assensum viri prudentis, licet cum formidine de opposito. *Probabilior* est, quæ innititur fundamento graviori, sed etiam cum prudenti formidine de opposito, dum opinio contraria potest aliquando esse vera, quamvis minus verisimilis appareat. *Probabilissima* innititur fundamento adeo gravi, sive gravissimo, ut opinio opposita non appareat graviter probabilis; sed quoniam probabilissima non excedit fines probabilitatis, licet principem locum teneat inter probabiles, idcirco non excludit omnem prudentem formidinem, quod veritas etiam pro opposito possit stare. *Opinio denique*, vel, ut melius dicam, *sententia moraliter certa*, ita excludit omnem prudentem formidinem, ut opposita censeatur omnino improbabilis.

30. His positis dicemus 1. cum opinione tenuiter probabilis non licere operari, ut compertum est ex prop. 3. ex proscriptis ab Innoc. XI., quæ sic dicebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exertur, confisi*

(2) Lib. I, n. 53, et seq.

aliquid agimus, semper prudenter agimus. Et ratio est, quia tenuis probabilitas non potest dici vera probabilitas, sicuti tenuis fortitudo et tenuis peritia, non possunt dici vera fortitudo et vera peritia, sed potius dicendæ sunt debilitas et imperitia. Dicimus 2. pro indubitato licere operari cum opinione probabilissima, ut habetur ex prop. 3. ex proscriptis ab Alexandro VIII., quæ dicebat: *Non licet sequi vel inter probabiles probabilissimam.*

31. Utrum autem liceat cum opinione probabilis operari, tres adsunt sententiæ; prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior. Hanc sententiam elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuere, sed nos dicimus eam esse laxam, et licite amplecti non posse. Ratio est, quia quando opinio pro lege est certe probabilior, tunc lex non est amplius dubio stricto dubia, uti accidit (quemadmodum postea explicamus) cum opiniones tam pro lege, quam pro libertate sunt æque probabiles; sed est moraliter certa, quum habeat pro fundamentum certum quod vera sit; ubi e contrario opinio minus probabilis, quæ favet libertati, tale habet fundamentum ut vera non sit, ut remaneat tenuiter, sive saltem dubie probabilis præ opinione tutiore; ideoque non est prudentia, sed imprudentia eam velle sequi. Quum enim intellectui certe appareat, quod veritas stet magis pro lege quam pro libertate, tunc voluntas nequit prudenter et sine culpa partem minus tutam sequi; tunc enim non operetur ex proprio judicio seu propria credulitate, sed quodam ex conatu quem sua voluntate faciet intellectu, removendo illum ab ea parte, quæ ei verior videtur, eumque deflectendo ad illam partem, quæ non solum videtur ei non vera, sed ne demonstrat quidem certum habere fundamentum quod possit esse vera. Est

et alia ratio, quod nos observare debemus præceptum illud, quod sufficienter fuisse nobis propositum possumus judicare, et prudenter credendum est sufficienter fuisse propositum, quum præ legis existentia argumenta adsint graviora: ad rem facit quod dicit Apostolus: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est, Rom. 14, 23.* ex quo deducitur, quod nos, ut recte operemur, debemus esse de actionis honestate moraliter certi. Hinc falsum illud probabilistarum principium, *Qui probabiliter agit, prudenter agit*, penitus reprobamus: ut enim bene operemur sola non sufficit probabilitas, sed certitudo moralis requiritur, quod actio nostra honesta sit.

32. Secunda sententiæ, quam hodie nunc quidam moderni tenent scriptores, vult ut tunc aliquam quamdam opinionem, quæ libertati favet, sequi possimus, quum ipsa sit moraliter certa. Sententiam hanc existimamus nimis rigidam, et quæ illaqueat conscientias, tale illis onus imponendo, ut nullas alias opiniones sequi possint, nisi quæ moraliter certæ sint, et in hoc opusculo demonstrabimus usum opinionum æque probabilium procul dubio licere. Lectorem meum rogo, ne propositionem hanc meam contemnat priusquam legat totum id, quod pro hac sententiâ afferam in medium. Contemnere quod quilibet auctor dicit, quin quod dicit intelligatur, non est neque charitas neque prudentia. Legatur: et postea contemnatur.

33. Tertia igitur, quæ nostra est sententiâ, dicit, quod quum opinio, quæ libertati favet, est æque probabilis, atque opinio illa quæ legi favet, sine dubio, et licite sequi potest, excipe in materia fidei, in qua tutiorem sequi debemus, uti habetur ex propositione 4. proscripta ab Innocentio XI., uti quoque in materia valoris Sacramentorum, uti habetur ex propositione I ab eodem Innocentio proscripta. Idem locum habet

in materia medicinæ, in qua medicus tutiora remedia adhibere tenetur (prout communiter docent Doctores). Ita pariter non possumus uti opinione probabilium cum periculo spirituali aut temporali damni proximi, semper ac (intelligitur) proximus est in certa sui juris possessione. Ratio qui inter duas opiniones æque probabiles non tenemur sequi tutam, quia lex dubia nequit certam inducere obligationem, quippe quia lex dubia non est sufficienter promulgata, ita ut possit ad suam observantiam nos obligare, quemadmodum demonstrabimus sexcentis auctoritatibus d. Thomæ omniumque Theologorum. Auctores illi qui tenent non licere sequi ne opinionem quidem probabilissimam vocantur tutioristæ rigidi; auctores autem probabilioristæ moderni qui existimant licitum usum probabilissimæ favore libertatis, et non requirunt quod opinio pro libertate omnino certa esse debeat, uti volunt rigidi tutioristæ, ita ut opinio contraria pro lege sit penitus improbabilis, vocantur quoque tutioristæ, sed tutioristæ mites; dicunt enim quod, ut quis licite opinione minus tuta uti possit, moraliter certa esse debeat, sed large, ita ut contraria magis tuta probabilis non sit. Ego tamen §. II. num. 66. evidenter demonstrabo sententiam hanc, quæ probabilissimam tantum pro libertate permittit, difficulter a prædictis auctoribus in praxi adhiberi posse, quin in rigorismum labantur. Ardua ista hæc videtur assertio, et forsitan aliquis credit, ne ad extremum usque vellem rem protrahere, ut vanam eorum sententiam reddam; lectorem tamen meum rogo, ut totum hoc opusculum legat, quia agnoscat quod loquendo secundum horum militum tutioristarum effata, negari haud poterit quod dicam.

34. P. Eusebius Amort, vir undequaque perspectus pro variis et doctis operibus quæ his temporibus in lucem edidit, in sua theologia mo-

rali et scholastica typis commissæ anno 1733. Bononiæ, postquam eam emendare fecerat auctor Romæ a Benedicto XIV., quemadmodum eum rogaverat, uti in ejus præfatione legitur, scribit, quod si opinio quæ legi favet, notabiliter probabilior non apparet (advertendum, quod, cum opinio est non dubie, sed certe probabilior, tunc quoque est notabiliter probabilior), moraliter certum est, quod hujusmodi lex non obligat, dicens, quod Deus juxta suam divinam providentiam, quando vult, ut aliqua sua lex obliget, tenetur eam notabiliter reddere probabiliorē: *Quandocumque existentia legis non redditur credibilior non ipsa, moraliter certum est non dari legem; quia ex natura providentiæ divinæ Deus, sicut tenetur suam religionem reddere evidenter credibiliorē non ipsa, ita etiam tenetur suam legem reddere notabiliter credibiliorē non ipsa. Theolog. tom. 1. disp. 2. §. 4. qu. 10. Illud, non ipsa, intelligitur, quod Deus, ut nos obliget ad legis observantiam, debet facere nobis cognoscere legem illam probabiliorē non ex ea ipsa, sed ex aliis argumentis. Unde idem auctor ibid. loc. cit. et fusius in qu. disp. quæst. 5. scribit, quod quando adsunt duæ opiniones æque probabiles, si in hoc casu non datur lex directe prohibens, quia in hoc casu non datur sufficiens promulgatio legis, quæ est character inseparabilis, et essentialis legis; siquidem sola legis promulgatio est illa, qua lex fit credibilior non ipsa. Promulgatio itaque illa est, quæ reddit legem credibiliorē. Et subdit in hunc modum sensisse patres, qui in dubio stricto, an adsit vel ne lex, hominem ad sequendam opinionem magis tutam non obligaverit.*

35. Et revera S. Gregorius Nazianzenus (orat. 39.) loquendo de quodam Novatiano dicit: *Anne juvenibus quidem viduis propter ætatis lubricum ineundi matrimonii præstatem facies? At Paulus hoc facere minime*

*dubitavit cujus te scilicet magistrum profiteris. At hæc minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? aut remita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est (nota), vincat humanitas tua. Scribit amplius S. Leo (ep. 9. ad Rustic. Narbon. in præfat. 12. c. Sicut quedam, fin. dist. 14.) : Sicut quedam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita nulla sunt, quæ aut pro consideratione temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperari: illa consideratione semper servata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum invenitur adversum. Dicit secundum, quia Superiores debent rigorem temperare, et non obligare subditos ad rigidiores opiniones sequendas, quando opiniones benignæ non sunt contrariæ præceptis Evangelii, aut decretis SS. Patrum. Ad rem quoque facit quod dicit D. Augustinus: *Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum. Dicit convincitur, quapropter non est prohibenda quæcumque actio, nisi certi simus, quod illa sit contra fidem aut contra bonos mores. Non aliter scripsit D. Bernardus: Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur, non obviat. Epist. ad Hugon. de S. Victor. cap. 5. n. 18. vol. 1. Oper. ædedit. Maurin. Paris. col. 634.**

36. Joannes Gerson scripsit, *necesse est dari manifestationem ordinationis, et voluntatis Dei; nam per solam ordinationem, aut per solam suam voluntatem non potest Deus absolute creaturæ imponere obligationem. De vit. spir. lect. 2. col. 176. Idem scripsit Joseph Rocasull præpositus Valentini: Casu quo, facta diligentia, non constat, an lex sit*

imposita, sed res dubia manet, non obligat, sive sit lex, vel præceptum naturale. Lib. 1. de leg. in comm. c. 4. n. 65. Idem scripsit Melchior Canus contra Scholasticum obligantem peccatores ad contritionis actum singulis diebus festis: Jus humanum nullum est, aut evangelicum, quo hoc præceptum asseratur; proferant et tacebimus. Relect. de penit. p. 4. post resolut. quæst. concl. 3. et postea in fine vers. ad ultimum subjungit: Quoniam ignoro, unde ad hanc opinionem doctores illi venerint, libere possunt, quod non satis explorate præceptum est, negare. Canus itaque sentiebat nos non teneri ad illa, quæ non satis explorata præcepta sunt. Hinc scripsit Dominicus Sotus: Quando sunt opiniones probabiles inter graves doctores utramque sequaris, in tuto habes conscientiam. De just. et jure lib. 6. quæst. 1. art. 6. circa fin. Amplius D. Antonius aperte scribit quod inter duas æque probabiles opiniones, licite possumus sequi benigniorem: Secundum Conciliarium non plus nocet homini errare in articulo Fidei, qui non est declaratus ab Ecclesia, quod sit articulus de necessitate credendus; quam nocere posset actus moralis contra aliquid agibile perpetratus, qui actus non dicitur certus ex Scriptura, aut determinatione Ecclesiæ, quod sit illicitus. Sed constat quod in materia Fidei licitum est ante determinationem Ecclesiæ, tenere unam vel alteram partem sine periculo peccati; etc. Ergo a simili licet unam opinionem in moralibus tenere juxta limitata superius, ubi saltem magis sapiens non sentit contrarium. (Idem sentit Du-Hamel auctor modernus) Theol. spec. et pract. tom. IV. tr. de act. human. lib. II. dissert. IV. cap. 3. n. IV. in fine vers. Hoc argumentum scribens: Hoc argumentum (scilicet de usu opinionis probabilis) magna prudentia temperatum nuper tractavit P. Gisbertus, primo enim postulat, ut opinio ex utraque parte